

et inis, vel alterius animalis specie apparere feruntur. Hos eruditi quidam demones aiunt, in aquosis & aridis locis corporibus horrescentib<sup>9</sup> frequentes apparere. Πορὸ ὀνόχηλον Onochelon illudentes gentes Christum Dominum Nostrum vocabant, & pingebant, ut Tertullianus, Suidas, & alij tradunt. Num verò Christo competit, inter Satyros computari, num inter Dæmonas? annon impium, illum qui eminent super omnes creaturas, in cuius nomine & ad cuius conspectum etiam ipsi Dæmones genua flectunt Philip. 2. hoc nomine contaminare?

## CAPVT III.

## DE CREATIONE.

*Quid de Creatore Vniuersi sit censendum, & quomodo de eo religiosè loquendum?*

Inter Doctores pontificios *Henricus de Gandavo Quodlibet 6. q. 2.* asseruit, non solum processiones diuinarum personarum esse Causam productionis creaturarum, sine quâ non producerentur; sed etiam intellectionem DEI merè essentialem non esse satis ad producendas Creaturas, quia sit tantùm Notitia simplex & speculativa: at verò Notitiam productam per actum dicendi esse declarativam, manifestatiuam, dispositiuam, ordinatiuam ad opus, ac proinde practicam, atq; pariter de amore differit, distinguendo in simplicem & notionalem, quorum posterior cum verò sit principium formale producendi Creaturas. *Alij* in planè oppositam delapsi sunt sententiam, nempe, pluralitatē personarum non esse per se requisitam ad productionem Creaturarum, sed potius potuisse Patrem solum absque filio & Spiritu Sancto creaturas omnes producere, *primò*, quia pater esset imperfectus & indigens: mendicaret enim creandi virtutem à Filio & Spiritu S. si non potuisset creare sine illis, quod confirmant, quia Pater sine Filio & Spiritu S. non esset Omnipotens, si non posset creare sine illis: *secundò*, quia ad producendas creaturas sufficiat diuina sapientia dirigendo, & diuina volitio impellendo seu liberè determinando, nec non omnipotentia exequendo: at ista perfectè convenire patri prius ratione

P. I. Th. C.

H h h

tionē